

CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES
UNIVERSITY OF TORONTO

M.A.. Level Medieval Latin Examination

5 September 2001

Translate ALL FOUR passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. **Francis de Empoli: Ethics of the public debt in Florence**

Casus talis est. Petrus fuit coactus prestare communitati .c. florenos et ex hoc communitas obligatur sibi in .c. florenis. Et interim communitas ordinat sibi dare .5. florenos annuatim pro suo interesse quamdiu tenebit illos .c. florenos. Postmodum Johannes emit a Petro suum ius percipiendi .c. florenos a communitate et illud interesse sequens pro .25. florenis. Queritur quid iuris?

Respondeo in hoc casu proposito sunt duo puncta. Primum est si Petrus licite possit recipere illos .5. annuatim pro eo quod coactus fuit prestare. Et quantum ad hoc supponatur pro certo quod sic, quia ratione interesse potest quis licite recipere aliquid ultra sortem in casu proposito.

Quantum ad secundum, utrum scilicet Johannes posit emere illud ius percipiendi capitale et interesse sequens, respondeo quod sic, quia hic contractus nullo iure prohibetur nec diuino nec humano, ergo licite potest fieri. Patet consequentia, quia nichil est peccatum nisi quia contra preceptum. Antecedens probatur quia non prohibetur iure canonico nec ciuili.

2. Abraham f. Deulecresse of Norwich quits Thomas of all previous debts

Henricus dei gracia Rex Anglie Dominus Hybernie Dux Normannie Aquitanie et Comes Andegavie cyrographariis Christianis et Judeis Norwyci salutem. Sciatis quod Abraham filius Deulecresse Judeus venit in curiam nostram coram justiciis nostris ad custodiam Judeorum assignatis et recognovit per starrum suum quod Thomas filius Godefridi le parker de Burnedis et heredes sui quieti sunt versus eum et heredes suos de omnibus debitibus querelis plegiis demandis et calumpniis que unquam eis debuerunt a creacione secli usque ad octavas Sancti Martini anno regni nostri quadragesimo quarto, et ideo vobis precipimus quod ad archam cyrographorum accedatis et ab archa illa extrahatis omnia cyrographa tallias et omnia alia instrumenta in archa illa inventa sub nominibus predictorum Thome et Abrahe et antecessorum vel heredum suorum confecta ante predictum terminum, et illa predicto Thome vel suo certo assignato quieta reddatis. Teste R. de Scaccario apud Westmonasterium xiiij die Novembris anno regni nostri xluij.

3. Caesarius of Arles: Making time for pious reading

Quando noctes longiores sunt, quis erit qui tantum possit dormire, ut lectionem divinam vel tribus horis non possit aut ipse legere, aut alias legentes audire? Illi enim lectionem divinam legere non possunt, qui se, sicuti iam dictum est, usque ad medianam noctem inebriare contendunt. Nos vero si deo volumus placere et de salute animae adtentius cogitare, sobrietatem debemus diligere, et ebrietatem quasi foveam inferni longe refugere. Adtendite, rogo vos, fratres, hoc dico quod non ignoratis. Novimus enim aliquos negotiatores, qui cum litteras non noverint, requirunt sibi mercennarios litteratos; et cum ipsi litteras nesciant, aliis scribentibus rationes suas ingentia lucra conquirunt. Et si illi qui litteras nesciunt, conducunt sibi mercennarios litteratos, ut adquirant terrenam pecuniam, tu, quicumque es qui litteras non nosti, quare etiam non cum pretio et mercede rogas, qui tibi debeat scripturas divinas relegere, ut ex illis possis praemia aeterna conquirere?

4. Master Leoninus of Paris: The salutation of a twelfth-century verse epistle

Hanc tibi, que sine te rara est michi, mitto salutem,
que, nisi te salvo, uix erit ulla michi.

Ecquid, ut audisti mittentis nomen amicum,
est tibi gratanti carta recepta manu.

Nec dubito quin te cartam iuuet ante solutam
omnia de nostro querere vera statu.

Ex his, pauca tibi referam, set mira relatu
cetera dum uenias pretereunda puto.

Accipe rem dulci gratam nouitate, fidemque
res habeat, maior sit licet illa fide.

Anxia privata nuper mea pectora cura,
mensque oblita sui plena stuporis erat,
traxerat et corpus egre contagia mentis,
spirituique caro languida testis erat.